

In qua semper cogitationum procellis navis cordis quatitur, huc illucque incessanter impellitur: ut per repentinorum excessus oris et operis qua si per obviantia saxa frangatur. Inter haec itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat? Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudarium ligans, de ejus occultatione judicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. At contra, iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum pravi operis, Pharisaeorum more, ad ingressum regni tendentibus obstaculum fiat: qui juxta Magistri vocem nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Cui cosuiderandum quoque est, quia cum causam populi electus praesul suspicit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, qua prae sumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

CAP. X. QUALIS QUISQUE AD REGIMEN VENIRE DEBEAT.

Ille igitur, ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi post posuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumeliam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupienda non dicitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed numquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienae infirmitati compatitur, sique in bonis proximi sicut in suis proiectibus laetatur. Qui ita se imitabilem ceteris in cunctis quae agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda aarentia